



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De similitudine creantis & creatæ Trinit. P. Q. R. S. T. V. X. Y

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



diuinit<sup>9</sup> instituta quisquis viuaciter perspicit, & quam magnum sit in ea, vnde potest etiam sempiterna immutabilisque natura recoli, conspici, concupisci, reminiscitur enim per memoriam, intuetur per intelligētiam, amplectitur per dilectionē, profecto reperit illius summæ Trinitatis imaginem.

*Aug. lib. de Trin. 15. ca. 20 paulo inferius.*

*Quod in illa similitudine est dissimilitudo.*

**VERVNTAMEN** caueat, ne hanc imaginē ab eadem Trinitate factam ita ei comparet, vt omnino existimet similem, sed potius in qualicunque ista similitudine, magnam quoque dissimilitudinem cernat.

*Prima dissimilitudo.*

*Ex Exod. li. 35. cap. 22.*

**QVOD** breuiter ostēdi potest. Homo vnus per ista tria meminit, intelligit, diligit: qui nec memoria est, nec intelligētia, nec dilectio, sed hæc habet. Vnus ergo homo est, qui habet hæc tria, non ipse est hæc tria. In illius vero summæ simplicitate nature, quæ Deus est, quamuis vnus sit Deus, tamē tres personæ sunt, pater & filius & Spiritus sanctus: & hæc tres personæ sunt vnus Deus. Aliud est itaque Trinitas res ipsa, aliud imago Trinitatis in re alia: propter quam imaginem etiam illud in quo sunt hæc tria, imago dicitur, scilicet homo. Sicut imago dicitur & tabula, & pictura quæ est in ea, sed tabula nomine imaginis appellatur, propter picturam quæ est in ea.

*Alteræ dissimilitudo.*

*Aug. lib. 15. cap. 23.*

**R VRSV** Sista imago quæ est homo habens illa tria, vna persona est: illa vero Trinitas nō vna persona est, sed tres personæ, pater filii, & filius patris, & Spiritus patris & filii. Itaq; in ista imagine Trin. nō hæc tria vnus homo, sed vnus hominis sunt. In illa vero summa Trinitate, cuius hæc imago est: nō vnus Dei sunt illa tria, sed vnus Deus, & tres sunt illæ personæ, non vna persona. Illa enim tria non

*Ibid. inferius.*

*Lib. 15. cap. 3 de Trin.*



non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt. Sed nunquid possumus dicere, Trinitatē sic esse in Deo, vt aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? Absit vt hoc credamus. Dicamus ergo in mēte nostra imaginē Trinitatis, sed exiguam, & qualem cunq; esse: quæ summæ Trinitatis ita gerit similitudinē, vt ex maxima parte sit dissimilis. Sciendū vero est quod hæc Trinitas mentis, vt ait Augustinus in 14. lib. de veritate, non propterea tantum imago Dei est, quia sui meminerit mens, & intelligit, ac diligit se; sed quia potest etiam meminisse, & intelligere, & amare illum à quo facta est.

*Alia assignatio Trinitatis in anima, scilicet* S  
*mens, notitia, amor.*

P O T E S T etiam alio modo aliisque nominibus distinguere Trinitas in anima, quæ est imago illius summæ & ineffabilis Trinitatis. vt enim ait Aug. in nono lib. de Trinit. Mens, & notitia eius, & amor, tria quædam sunt, Mens enim nouit se, & amat se; nec amare se potest, nisi etiam nouerit se, Duo quædam sunt mens & notitia eius. Item duo quædam sunt mens & amor eius. Cum ergo se nouit mens & amat se, manet Trinitas, scilicet mens, amor, & notitia. Mens autem hic accipitur nō pro anima, sed pro eo quod in anima excellētius est.

*Aug. c. 4. s. 30  
c. 4. c. 5. lib.  
de Trin 15.  
cap. 7.*

Hæc autem tria cum sint distincta à se inuicem, dicuntur tamen, esse vnum: quia in animo substantialiter existunt.

*Quia mens, vice patris: notitia filii: amor Spiritus sancti accipitur.* T

E T est ipsa mēs quasi parēs, & notitia eius quasi proles eius. Mens enim cū se cognoscit, notitiam sui gignit, & est sola parens suæ notitiæ. Tertius est amor, qui de ipsa mente & notitia procedit, dum mens cognoscit se & diligit se. non enim posset se diligere, nisi cognosceret se. Amat etiam placitam prolem,

*Aug. lib. de  
Trin. 9. b. 12.  
Ibidem in  
ferius.*



prolem, id est, notitiam suam: & ita amor quidam complexus est parentis & prolis.

*Quod non est minor mente notitia, nec amor utroque.*

*Aug. lib. 9.  
in fine.*

**N**EC minor proles parente, dum tantam se nouit mens, quanta est: nec minor est amor parente & prole, id est, mente & notitia, dum tantum se diligit mens, quantum se nouit & quanta est.

*Quod hec tria in se ipsis sunt.*

*Ex eodem  
li. 8. ca. 5.*

**S**VNT etiam hęc singula in se ipsis: quia & mens amans in amore est, & amor in amantis notitia, & notitia in mente noscente est. Ecce in his tribus qualecunque vestigium Trinitatis apparet,

*Quomodo mens per ista proficit ad intelligendum Deum.*

*Ex c. 12. li. 9.  
de trin.  
Aug.*

**M**ENS itaq; rationalis considerans hęc tria, & illam unam essentiam in qua ista sunt, extendit se ad contemplationem creatoris: & videt unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate. Intelligit enim unum Deum esse, unam essentiam, unum principium. Intelligit enim, quia si duo essent, vel uterque insufficiens esset, vel aliter superflueret: quia si aliquid deesset uni quod haberet alter, non esset ibi summa perfectio. Si vero nihil uni deesset quod haberet alter, cum in uno essent omnia alter superflueret. Intellexit ergo unum esse Deum omnium auctorem: & vidit quia absque sapientia non fit, quasi res fatua, & ideo intellexit eum habere sapientiam, quae ab ipso genita est: & quia sapientiam suam diligit, intellexit etiam ibi esse amorem.

*Hic de summa Trinitatis unitate.*

*Aug. li. 9.  
Cap. 1.*

**Q**VAPROPTER iuxta ipsam considerationem, ut ait Aug. in IX. lib. de Trinitate. credamus patrem, & filium & spiritum sanctum unum esse Deum, uniuersae creaturae conditorem & rectorem, nec patrem esse filium, nec spiritum sanctum vel patrem esse, vel filium, sed Trinitatem relatarum ad inuicem perso-